



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXXII. Complutensis commoratio, studia literarum, & pia opera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

mum ingerebant, paucis tantum ad eos cohortationibus habitis, regula aliquot Christianè viuendi tradidit, quæ perinde ab iis acceptæ sunt, vt si ex ore Ignatij prodirent, cuius instinctu edebantur. Fuit hic amor Barcinonensium erga Ignatium, & hæc de illo existimatio.

XXXII.
Complutensis
commoratio,
studia literarum,
&
pia opera.

Complutum ad Calendas Augusti peruenit anno 1526. sed scholis ibi ante Lucalia ex vsu silentibus, quod supererat temporis, partim excolendæ virtuti propriæ, partim proximis dedit; subsecutis interim sociis, accessit quartus, natione Gallus, Martini Cordubensis Nauarræ proregis honorarius ephebus, Compluti propterea coactus subsistere, quod in transitu proregis, rixa quadam exortâ fauciatus, in nosocomio ex vulneribus curaretur, quo infortunio, fortunatius ei nihil esse potuit. Dum enim medici corpus remediis, Ignatius adhortatione mentem restituit. Vnus erat omnium habitus, subnigra talaris tunica eiusdemque coloris pileus. Ex iis duos Ernardus de Para pro sua caritate apud se habebat; duos Andreas Arcaus. Degebat Ignatius in hospitio pauperum, cui ab Antezana vocabulum, vbi hoc promptius eubiculum nactus est, quod pridem illic vacabat vnum, verum spectris umbrarum, & horribili strepitu infestum, quod rei totius ignarus prima nocte nimium comperit, & quidem si erant Dæmones, vtrò iam suas in manus datum, erant pessimè habituri, cum identidem antea testarentur se peius Ignatio odisse neminem. Formidandis ergo territauere simulachris & immani fragore, quibus improuisis, anteuertentibus deliberatam mentis constantiam, totus inhorruit; tum colligens sese, resumptisque animis in genua assurgens, si vobis inquit posse in me aliquid datum est, en adsum paratus, agite placet de me quodcumque Deus probauerit cuiuscumque id manu fieri iusserit; neque in vobis est nocendi metas, vel puncto transgredi, quas ipse vobis præfixerit. Sin autem vobis nocendi facultas nulla est, quò tot vestrum simul, ignaui tot strepitus ad interpellandam vnius homuli quietem? his se Deo integrè committens, dispensaturo Dæmonum feritatem, quicquid essent ausuri, fortiter operiebat. Sed sefellit successus prima illorum terculamenta, ex eo, statio vel iis erepta, vel spontè deferta, ne vexando Ignatio, vexarentur illius patientiâ durius, quàm ipse truculentiâ illorum. Erat hæc itaque Ignatio Compluti statio, victus mendicatio cui cum plura necessariis amici adderent, ea in pauperes tribuebat; ad eos verò ferebat ipsemet quos honestorum pudor natalium, aut morbus à mendicando abstereret. Notauit hæc ita factitantem Martinus Sæsius, inter Aspeitiæ primarios opulentus; Complutum enim negotij causâ cum venisset; olim sibi notum, nunc fama celebrem videre Ignatium voluit. Præstolatus ergo è scholâ exiturum, & probè agnouit, & tacitè subsecutus, vidit quandam in casam subeuntem, post paulumque ex ea redeuntem; tunc & ipse ingressus, iacentem ex morbo fecminam inuenit, omnium egenam; hæc de illo rogata, qui ad se adisset studioso, negauit nosse; sed sanctum videri, sibi que ab eo quotidie & stipem necessariam deferri, & piis de Deo sermonibus consolationem adhiberi:

Benè,

Benè, inquit, Sæsius, tu cras redeunti significes velim, sibi aut aliis si pecunia egebit, scire te hominem qui sit non grauatè collaturus. Illa quod mandabatur fecit verum Ignatius obseruari se videns, ego hætenus soror, tibi, vt potui succurri, succurret deinceps alia via Deus, cui ego te plurimum comendo. Quibus dictis abcessit; nec illò pedem postea intulit. Prælegebatur in Academia, Sotus in Logicis, in Physicis, Albertus Magnus, sententiarum Magister in Theologia. Vires ingenij ex affectu metitus Ignatius, impatientiâ ardoris, in aliorum salutem præproperi, complectebatur ingentibus animis, sed nullo ordine hæc tria, multoque labore, ac tempore dum sequeretur confusè omnia, nihil assequeretur, neque tunc illis discendi primordiis affulsit à Deo lux melior, digerenda in studia operæ, nec verò tam Complutum vocatus fuerat, vt inde literas referret, quàm vt illuc inferret pietatem; vtque post suimet voluntarias diuexationes, exerceretur quoque ab aliis, eorumque insultus alacri patientia superaret. Ex processu siquidem literario parum lato, facilè animus versus est ad procurationem salutis alienæ. Ergo itare in nosocomia; Christianæ doctrinæ tradere rudimenta; de rebus diuinis conferre, & colloqui; versari assiduè cum academicis, & familiarius cum iis qui aut solutiùs agerent, aut frequentarentur à pluribus sociis, vt iis ad mentem reuocatis copiosa esset tractûs vnus piscatio, & fauebat huic operi Deus perpetuis morum conuersionibus, iamque propterea apud omnes viri Apostolici Spiritus audiebat. Nec sanè dicendi vis in ore illius nascebatur, sterili potius quàm diserto; sed ipso ex cordis penetrati, quod diuino amore æstuabat, quo dum loqueretur, & ipse totus absumi videbatur, & flammæ iacere quibus accenderet audientes. Sic multi de illo referunt, qui & coram dicentem audierant, & vim dicentis mirabilem, in seipsis experti, in aliis item perspexerant. Præter quòd illa solidioris veri firmamenta quibus tot horas tantæque in luce percipiendis consumpserat, & quibus Exercitia inædificarat, eo acrimoniæ vigore pertractata, quo sibi ea impresserat, tantos impetus habebant vt eos nullus eluctari valeret auditor. Hinc ille, in publicè notis, & projectæ conscientiæ sceleratis, fortiter inuadendis conatus audentior, & certa confidentia. Euangelij veritatem expugnaturam efficacius reas mentes, quàm vt possent ei obistere: ac licet initio restitarent, terrorèque ac minis abigerent monentem, sed vsu didicerat, cicutari tandem, & recto domitas, manus dare. Sic illi acta res cum nobili clerico, dignitatis in Hispaniæ Ecclesia primaria: huius erat viuendi ratio, vniuersitati illi tam pestilens, vt sequacem turbam multorum iuuenum in societatem suam, ac scelerum traheret, pessima apud omnes fama, magno apud bonos dolore: edoctus Ignatius rem totam conueniendi hominis à Deo veniam, vt solebat, orando roburque petere ad propugnandam causæ bonitatem; dein meditata ad ferendum patientiâ munitus, & validis ad impressionem monitis armatus ad eum adire; & significare per famulos, habere quæ sciri ab eo oporteret. Egrè homini fuit tam obscurus,

& subitus nuntius, & exclusurus erat alloquio Ignatium, nisi, quòd viderat sapius mendicantem, suspicatus esset aliquid potius eleemosynæ quàm emendationis rogaturum. Admisit nihilominus vultu priùs ad quæcunque fortè obiicerentur obfirmato, auctàque animi conturbatione, ac suspicione, cum procul arbitris audiri se peteret, duxit tamen in secretiùs conclaue. Hic verò Ignatius, sibi quidem vili, ac misero ex amicitia tãti viri nihil quicquam arrogare; sed fide erga illum vera, & animo esse tam casto, & integro, vix vt talem fortassis inter sexcentos esset reperturus, maiore quin etiam se illum amore prosequi, quàm se ipse amaret, vt qui animam negligeret suam, hoc est principem sui partem, cuius ipse salutem vehementer optaret. Quod verò Compluti vulgò de se iactata ignoraret, nihil mirum; comitum culpa id fieri, à quibus obsideretur assidue, & auerteretur ab eius auribus quicquid minus iucundè esset auditurus. Illud autem magnoperè mirum, quod ea interiùs non audiret, quæ calare illum conscientia non posset. Ad hoc nempe te Deus, aiebat, in hunc mundum misit vt eo, nihilo immoderatus fruerere, quam si post eum nec cælum, superfit, nec inferi? Estque tam flocci æternùm seruari, aut æternùm perire, vt non mereatur inter curas tuas locum? si te hoc ipso quod loquor, mori occupet (auertat quidem Deus, sed neque tibi vel de momento cõstat) quid te quæso æternùm futurum sit? quid iis tot bonis quæ Dei optimi beneficio possessa in Dei contumeliam & contemptù vertis? quid fœdis illis quibus te inquinat voluptatibus? quarum nulla est quam animæ tuæ pretio non emas. Quid iis denique, quod acerbius est, adolescentibus, quos tam multos tecum in ruinam trahis. Horum ab te reddi ratio quæ possit? quò tuam redigis animam infœlicem, alienas dum perdis? Et pergebat aculeos subdere, cum impotens iuuenis, ac fremens, domi tam audenter ab homuncione despicabili se perstringi; probris illum turpissimè excipere, ac si mutet ulterius, iussurum fenestra eici. Quibus tanquam validè delirantis, nihil commotus Ignatius, instat curationi etiam acrius, & in paucis illis quorum adhuc credidit patientem, quiddam illi suggestum diuinitus, quo furentem ad viuam pungens compescuit: quare secutus quæ cœperat, demum hominem sibi, ac Deo restituit. Hic verò admiratio seruorum, quos exciuerantheri voces incondita, ad quiduis insolés expeditos, cum videre placidè prodeuntem, & omni genere comitatis demissè Ignatium prosequentem. Sed iis multo magis nouum, cum iussi mensam instruere, nam se illi cœnam externo daturum; nec abnuuit humanitatem Ignatius quo se illi præberet gratiorem, & inductis de Deo sermonibus facilius caperet, vt re ipsa euenit; equum tamen, & famulos, qui prælucere domum redeunt, omnino respuit, & exinde sibi amiciorum illo, & acriorem sui defensorem habuit neminem, ipseque vicissim amauit illum vehementer, quod in eius luto, plurimos Deo peperisset.

Huic similia in dies contingebant, incredibili Ignatij voluptate, sub cuius etiam disciplina in pauperum domo coaluerat quædam pietatis academia,

demia, haud paulò frequentior numero quàm literaria. Sed hanc diù ferre Dæmon non potuit, cuius tantum iacturis quantum Ignatij quæstibus accedebat, cumque sparsæ ab eo per sceleratos nugæ, de Ignatij veneficiis & incantamentis, pro fabula passim haberentur, nefas commentus est ingeniosus, quo carcere, vinculis, inquisitione multiplici de vita, & moribus iactatum, probitatis fama apud ignaros euertetur, nulliusque iam ad pietatem fidei, & autoritatis efficeret. Damnarat non pridem in Hispania Tribunal sacrum doctrinæ satores mortiferæ, qui se Illuminatos nuncupabant, cum tenebriones essent hæretici. Serpebat ad hæc in totam Germaniam Lutheri carcinoma: quare ad hoc sacri Quæsitores mille oculos intendebant, ne qua istiusmodi veneni regnum Catholicum libaret contagio. Videbant feruere concursu vicos ad audiendum in Nosocomio Ignatium nec à plebe tantum, se à primariis etiam audiri. Videbant iuuenum ex academia diuersos à pristinis mores, quibusdam eius præceptionibus quæ secessum, & silentium poscerent. Hominem igitur, vix benè grammaticum in vrbe literata tantum posse ad persuadendum, etsi eatenus inde nihil exisset nisi laudabile, suspicionem tamen fecit, prauis consilij, sanctimonix prætexti fuco, & sensim noua dogmata sparsuri; aut errorum saltem ex ignorantia pro veris docendorum. Ad hæc eius, & sociorum in vestibus modus ab communi diuersis, non satis probabatur. Sacrorum denique ille vsus frequens, multis octauo quoque die adeuntibus sacram mensam, (quod perinde tunc fuit vt si nunc quotidie adiretur,) nouitatis insimulabatur, damnabaturque ab nonnullis aperte. Nam Alfonso Sanchez ad S. Iusti Canonicus idemque doctor, palam aliquando Ignatio, eiusque sociis Eucharistiam negauit, iniecto etiam scrupulo familiaritatis cum Deo nimix; sed mente mox in melius versa, eam illic præbuit, quam dum impertiret, delibutus est tam dulci pietatis sensu, vt ægrè tenuerit lachrymas volueritque Ignatium habere secum ad prandium, & eum obseruauerit tanquam sanctum, præsertim vt audiit de rebus animæ differentem. Acres tandem quorundam conturbationes, cum deliberarent de mutanda vitæ ratione, effectioibus maleficis incantationum attributa; multo apud nonnullos suspectiorem Ignatium fecerunt. Cuncta portò hæc simul, sed eundo (vt solet) in peius aucta deferuntur Toletum ad sacros Quæsitores, vt ipsi per sese de remedio viderent: inde illi ad hoc secretò Complutum destinant Alfonso Mechium maioris Ecclesiæ canonicum, vt cum Michaële Caruscio doctore, eodemque Compluti ad S. Iusti canonico probè ritèque cognita referret. Nihil ab eo omissum in examinandis quàm occultissimè de Ignatij vita domesticis testibus, auditoribus quotidianis de doctrina; comperitque vt erat vtròque sanctus. Redit ergo Toletum Alfonso ne conspecto quidem Ignatio, suis tamen in quemlibet euentum Ioanni Roderico de Figueroa vicibus demandatis. Erat hic Compluti vicarius, & vel esse Alfonso, vel videri volens accuratior, quamprimum ad se Ignatium vocare, significare de illo quæsitum subtiliori examine; cessisse omnia in eius com-

mendationem, nihil deprehensum quod argueretur, vnum esse quod mi-
 nus placeret, nouum, formæ vnius, vestiam colorem; & figuram quas ipse
 cum sociis vsurparet, religiosi id esse proprium, quales ipse non essent,
 variandas curaret ab infectore; de cætero pergeret, vt ante fecerat ani-
 marum saluti viuere; non fuit difficile morem gerere imperanti, ipse cum
 Arriaga nigro, Callistus & Cazares russo induuntur, Ioannes Gallus, suum
 retinuit, calceos Ignatius assumpsit, quod Vicario displiceret eum pedibus
 nudis incedere. His ad Christi natalem gestis, cum Nouembris 19. anni 1526.
 tractari hæc primum cepisset causa; proximo de hinc anno ad sextum Mar-
 tij cognitionem Vicarius integravit, ex qua præter prolixam Ignatij lau-
 dationem nihil confecit, eumque propterea & magni fecit, & multum
 amavit, quoad casu valdè inopino, repente in alium est mutatus. Erant duæ
 inter auditores Ignatij scemina nobiles, mater, & filia, vtraque vidua,
 sed annis adhuc florentibus filia, formæque conspicua Ludouica Velas-
 ques; mater verò Maria de Vado; ambæ pari ardore, magnum aliquid
 audendi, Deo que graïssimum, versabant inter se consilia peregrinationis
 perpetuæ, ob eundemque omnia per vniuersam Hispaniam Nosocomia, seque
 illic in omnia charitatis, & mortificationis miracula fingendi, nihil tamen
 prius exequi visum est quam communicassent cum Ignatio suam mentem:
 at is grauitèr obiurgatas manifestis rationibus docuit sceminas præsertim
 iuniores, quas agrè sua tueretur domus, passim & publicè vagari, aliud
 nihil esse quam occasiones quarere pereundi: id hosti maligno scilicet
 propositum esse, eas ab suorum auelleret oculis, vt lapsus, quibus innum-
 meris forent obnoxia, eo proniores quo occultiores euaderent: non
 deesse Compluti egrotos, & nosocomia, vbi non dispari merito, sed abs-
 que periculo, possent caritati, & sui victoriæ, si hæc ad eò cordi erant, se
 totas dicare, & hoc illis tum quidem persuasit; sed exeunte iam maiore
 ieiunio, nouæ aliquod pietatis commentum rimantibus, succurrit idem
 denudè impetus; & clam cunctis, præter intimè amicas, peregrinarum cul-
 tu, & pedites, Guadalupam versus ad B. Virginem, & ad sindonem Iae-
 sem mendicando iter arripit. Vt illas abesse vulgatum est, multa de iis teme-
 re effusa. Sed vbi ab consciis proditum eas pie peregrinari, non fugere,
 omnis in caput Ignatij execratio versa est quod non viderentur nobiles scemina,
 fuisse tam præcepti & periculorum negotium tentaturæ nisi eius,
 qua erat dicendo vi, allocutionibus permotæ. Indignari ergo in illum plu-
 rimi, sed præ omnibus doctor Petrus Ciruelius, penes quem fuerat earum
 cura, bacchari, & furere, haud magis illarum discrimine, quam suo dede-
 core agitatus: queripalam, & vociferari apud omnes, enim verò rem esse
 minimè ferendam, à mendico, ignaro, literarum rudi, fuscèque totam
 vibem verti, & quantum liberet, tantum ei licere, restare scilicet hoc so-
 lum, vt ab sinu parentum filias, à maritis vxores diuelleret, & eas nomine
 pietatis, vulgi fabulam faceret: inhibendam esse illam audaciam, quin om-
 nem etiam abrogandam ei facultatem, ex qua non possèt aliud expectari
 præter

præter huiusmodi offensiones, & probra, vt quæ nec scientiæ ductu, qualiscumque mens esset, nec prudentiæ consilio regeretur. Iam studentium causas apud Rectorem Vniuersitatis cum disceptandas nosset Ciruelius & Mattheum Pasqualium Catalanum, Rectorem, amicissimum Ignatio esse, non putauit inde quærendam sententiam, qua acerbissima multandum censobat Ignatium; quare apud vicarium Figueroam suas admodum criminose querelas deposuit, tantumque valuit autoritas hominis, apud Cardinalem Ximenem gratiosi, qui primas illi Theologiæ docendæ partes contulerat in ea recens ab se fundata vniuersitate, vt mox Figueroa duci Ignatium mandarit. Obuium ferunt dum inter lictores ignominiosè in carcerem ducitur, habuisse Franciscum Borgiam ducis Gandiæ filium, annorum septemdecim iuuenem, inter populi salutationes, & urbana officia, numerofo famulatio stipatum, cuiusque hic casus diuinæ prouidentiae quidam ludus, futura diu post Ignatio gaudia iam tum meditantis, ex eodem Romæ futuro Ignatij & Societatis libente captiuo, eò quidem cumulatione, quo vnus potestatis, demissionis alter longinquiora recordaturus esset initia, non tamen carcere, sua Ignatio vel imminuta autoritas, vel suorum amor: concurrebatur ad videndum illum, audiendumque; nec ab eo visendo pudor, aut loci grauitas principes fœminas arcebat: animum verò gerebat tam latum ac liberum, vt illuc vltro subisse videretur, ad asserendum reipsa, quod verbis docuerat, qui Deum possideret, felicitatem vnâ vbique possidere ac frui. Captata quin etiam ex occasione materia, de amore in Deum tam sublimia loquebatur, vt mentis potius ob impotentiam inclusum diceres quàm reum, nihil esse dulcius quàm pati propter Deum; eius amore nihil esse iucundius, & hunc eius amorem nusquam esse quam ferendis pro eo aduersis maiorem. Fuit in iis qui eum adibant Georgius Nauerus Scripturæ Compluti interpret primarius, sapientiæ nomine pietatisque clarus, hunc ab ore Ignatij suspensum penitus cum docendi hora incautum præterisset, mox in auditorium festinans, operientibus in eius atrio discipulis; *vidi*, inquit stupens. *Paulum in vinculis*, quo nec maius dicere potuit, nec minus dicendum putauit. Interea rerum pergebat Figueroa multiplici examine de causa cognoscere, nec deerant accusatores calumniis, nec querimoniis perperam affecti sed aduersus infontem proferri nihil potuit, quod vel vmbra præferret probabilitatis, contra verò tam multis eius innocentia testibus claruit, vt ad probandam eius sanctitatem, non ad crimen damnandum instituta lis videretur. Doctrinam eius sanam; probi exempli vitam, labores Apostolicis suppare, ante omnia priuatim, ac publice inculcasse Deum præ rebus omnibus amandum; iuuandos egenos, adeunda nosocomia & carcerem, ærumnas æquo animo perferendas, redimendos voluntariis pœnis annos perperam exactos, conscientiam ad examen bis quotidie vocandam, cuius formulam tradebat, laudare ad diuinissimum epulum octauo quoque die accedentes, eius denique verborum esse pondus tantum, vt in mundi contemptum &

solitudinis amorem audientes validè incitaret. Dum autem causa instruitur, multa Ignatio, multis magnaque officia deferuntur à multis, seu fauorè optaret, seu defensionem, in iis Ducis Machedæ mater Teresia Henriques, & Leonora, Mascarenia Imperatricis honoraria, post verò Principis Philippi II. moderatrix, quæ Vallisolei ante biennium, Ignatij de Deo sermonibus captæ, tanquam sanctum miratæ suspexerant; sed erat vir Dei tam procul à captanda per amicitias liberatione, vt ne tuendæ quidem causæ Procuratorem admiserit. Dei enim causam censebat Deo committi debere; nec posse nisi per calumniam damnari; quod si contingeret, id verò sibi foelicitati summæ fore; imo vnus è sociis Calistus, cum tunc Segouia audito carcere venisset, seque cum illo in eum sponte coniecisset, hominem statim ad Vicarium remisit, vt eum quamlibet in partem, versaret, eoque indice ac teste pro arbitrio vteretur. Hæc dum ita feruent adsunt peregrinæ tres in patriam reduces, post, quadragesimum alterum ab discessu diem, statimque iuridicè rogatæ, cumulatè Ignatium à culpa vindicarunt, purganda suspicio restabat, arrepti suasu Ignatij, non priuato suo, itineris, sed ante Vicarius officij credidit consolationem aliquam sancto adhibere, quam tamen instar lapidosi panis, iniqua seueritate asperauit. Igitur carcerem ingressus, cum ex eo quæsisset, num illis foeminis peregrinationis author extitisset, negassetque is tranquille & candidè se fuisse, manu humerum tangens & subridens æquo animo, ait, hæc sola carceris tui causa est, melius tamen & ipsi tibi, & meo iudicio, consultum à te foret, si sermo tuus minus haberet nouitatis: quam vocem Ignatius, conuersionis animarum, insimulantem nouitatis, & ab eo profectam quem officij ratio ad eas iuuandas mouere debuerat, vultu excipiens ad grauitatem modestè composito. Mihi verò, inquit, nunquam venit in mentem, notandum nouitatis, Christianos inter, de Christo loqui; quo breui plenòque responso ita hominem confudit, vt non absque rubore recederet. Duodecimo ab hinc die, tot enim fluxere in perficiendis causæ huius actis, Calendis Iunii 1527. Ignatius sistitur ad audiendam sententiam, qua doctrinæ, vitæque inculpatæ pronuntiabatur, at huic subinfert, se iustas ob causas præcipere, vt omisso talari habitu, ipse cum sociis; cultum studiosis communem assumeret: cogendis præterea, cœtibus & concionibus, imò & priuatis hortationibus tamdiu abstineret, dum qui supererant, tres annos in Theologia posuisset, & hæc sibi sub anathemate, & exilio intelligeret imperata. Vicarij iussa, haud secus ac Dei exceptit Ignatius, de veste subdidit, omissurum non agrè; scholasticorum tamen emendo vestitui, quotidiana stipe victitanti nihil suppetere.

XXXIV. Quamobrem Vicarius Luzenæ honestissimo Compluti, notæque in pauperes misericordiæ illum comendauit. Is cum Ignatio mendicans, in turbam nobilium incidit propius ædes Lopij Mendozæ, tum pila ludentium, tum spectantium ludentes: rogat ex iis Luzena aliquid eleemosynæ. Lopius pridem Ignatij monitis de corrigenda morum licentia offensus; non pudet

Ignatij honorem calumniantis morte vindicat Deus.